

viore adhuc censura plectendus est, aut si jam gravissima illata fuerit, ad pœnas deveniendum pro prudenti superioris arbitrio, ac si actus prohibitos eliciisset, ut modò erit adnotandum. Tertio, si ita delinquatur, ut ii actus fiant, quibus vi censura interdicitur, obtinet, ut quæcumque sunt in censura contemptum, in irritum penitus cadant, uti contingit in eo, qui interdicti censuram negligit, ac contempnit, cap. 18. de privileg. Præterea, quicumque violat censuram alienam, id est communicat in vitis cum eo, qui censura tenetur, & ipse aliqua censura coërectur pro modo admissi, cap. 3. de usuris, cap. 2. de raptor., cap. 2. de hæret. in 6., Clement. 1. de sepult. Insuper si violetur non aliena, sed vel propria censura personalis, vel censura localis, imminet ipso jure violenti pœna irregularitatis, can. 6. 7. caus. 11. quest. 3., cap. 1. de postul. cap. 12. 14. 18. de homicid., cap. 1. 5. 6. 9. de Cler. excom. min., cap. 47. de sentent. excom., cap. 1. in fine, cap. 18. §. 1., cap. 20. eod. tit. in 6. cap. 1. de sent. & re judic. in 6. Atque id in censura personali adeo verum est, ut locum habeat, etiam si notatus non sit publicè denunciatus, propterea quod ob non factas publicas denuntiationes excusantur quidem ceteri, si cum notato communicent, non excusatur ipse notatus, qui conscius est censuræ, qua tenetur. Dixi aliud vigere, si quis non omninò servet alienam censuram personalem, veluti si Sacerdos divina celebraverit excommunicato præsentem; siquidem nullam in hac specie imminere irregularitatem declaravit Bonifacius VIII. in cap. 18. princ. de sentent. excom. in 6. Sed de hac re uberior agendum erit inferiùs, ubi de irregularitatis pœna disserendum. Sunt & alia coërcitiones, & pœnæ adversus eos, qui violant propriam personalem, aut

localem censuram: videlicet laici excommunicatione etiam plectuntur, quo casu interdictum violaverint, aut anathemate, quo casu excommunicationem non servaverint, argumento capituli 11. de privileg., & Clement. 2. de sent. excom.: quòd si de Clericis agatur, qui & suspensioni obnoxii esse possunt; pro qualitate violatæ censuræ, majoribus censuris subjiciuntur, aut etiam pœnis, cap. 13. §. quia verò de hæreticis. Hinc aliquando excommunicantur, can. 2. dist. 55., cap. 2. de Cler. excom. min., Clem. 3. de sentent. excom., quandoquè beneficium privantur, uti in specie capituli 8. de ætat. qualit. & ord. præfic., ubi notandum est, ideo Clericum beneficium spoliari, non tam quòd per longum tempus in censura perstiterit, quam quòd dum censura teneretur, aliud beneficium adipisci conatus est. Addi potest capitulum 4. de cohabit. Cler. & mulier., cap. ult. de excess. Prælat., & capitulum 16. vers. Caterum de elect. in 6. Quandoquè etiam à gradu suo deiciuntur, cap. 8. de dolo, & contum., cap. 13. de vita & honest. Cleric., cap. 3. & 4. de Cler. excom. minist. Quòd si Clerici censura notati turbas concitent, & seditione facta adversus ecclesiasticam potestatem irrumpant, exiuntur clericali privilegio, & traduntur curiæ seculari juxta qualitatem sceleris puniendi, can. 7. caus. 11. quest. 3., argumento capituli 10. de iudicis. Sunt denique certi effectus violatæ censuræ, ratione Ecclesie, seu loci sacri, in quo violentia admessa est. Nimirum polluitur Ecclesia, si in ea excommunicati, vel interdicti cadaver fuerit tumulatum, cap. 7. de consecr. Eccles. vel altar., & amittit Ecclesia jus sepulchri, quo casu in ea aut hæreticorum, aut hæreticis faventium cadavera sepeliuntur, cap. 2. princip. de hæreticis in 6.

CAPUT XI.

De modis, quibus censura deletur.

Quemadmodum ubi certum est, censuram notam inustam fuisse, curandam imminet notato, ut quanto tuius auferatur, ita nulla opus est sollicitudine, ut quis ab ea se purget, quam certò scit non incurrisse. Quid tamen, si de censura dubitetur? Secernere oportet duplicis generis dubitationem, priorem, quæ consistit in jure, posteriorem, quæ consistit in facto. Si dubitatio in jure versetur, ac dubitetur, an certis in casibus leges ecclesiasticæ censuram inflixerint, item an sententia abs iudice prolata censuram in sua formula comprehendat, nunquam pro censura illatione adfirmandum est, nulla sollicitudine adhibenda, ut quis solvatur ab eo vinculo, quo innodatus fuisse non videtur, argumento cap. 18. de sent. excom. in 6., neque enim credendum est, aut legislatorem aut judicem obscuris verbis voluisse censuram illationem involvere, argumento cap. 30. & 39. de reg. jur. in 6. At si constet de censura aut abs jure, aut ab homine lata ob certas causas, & dubitatio tantum versetur in eo, an quis in eam censuram incidere, hic locum habet prudens juris regula, quæ suadet, in dubio tutiorem partem esse eligendam, quam in proposito recipiendam voluit Innocentius III. in cap. 5. de Cler. excom. minist., proindeque curandum, ut saltem ad cautelam censura abolitio petatur. Delentur autem censura septem modis, abrogatione, revocatione, cassatione, morte ferentis, morte notati, lapsu temporis, & absolutione. Singulare illud est in censura suspensionis, ut aliquando etiam finiatur dispensatione, ut in cap. 2. de Cler. non ordin. ministri, in cap. 2. & 3. de eo qui furtivè, in cap. 52. de sent. excom., & in cap. 21. de tempor. ordin. in 6. Verùm id ex

eo profluit, quòd aliquando suspensio quosdam habet irregularitatis effectus, & quodammodo induit speciem irregularitatis. Siquidem qui suspensus est à certo ordine, impedimentum contrahit, ne interea ad majores ordines promoveatur; quemadmodum verò irregularitas non nisi dispensatione deletur, ita receptum est, ut in ea suspensionis specie adhuc quedam fieri posse dispensatio videatur. Abrogatio censuræ locum tantum habet in censuris, quæ abs jure indicuntur, & fit, cum lex nova revocat legem veterem, quæ censuram tulerat, aut eum lex eadem veteris consuetudine aboletur, quod fit in omnibus modis, quibus solent leges abrogari. Nemo inde non colligit, abrogationis effectum non eum esse, ut qui jam facto suo incidit in censuram à lege indictam, statim incipiat esse à censura solutus, sed tantum ut qui post abrogatam legem quidquam in eandem legem admisit, non amplius censura subjaceat. Revocatio habet tantum locum in censura aut lata per præceptum si fortè præceptum suum superior revocaverit, exemplo abrogationis legis generalis; aut lata per sententiam, quam iudex veluti irritam causam melius perspecta retractat, cap. 48. de sent. excom., cap. 10. de appellat. in 6. Aliud sanè vigeret, si sententia non irrita, sed tantum iniusta fuerit; qua in specie licet singulari jure receptum sit in censuris, ut eam revocare valeat, qui eandem tulit, nihilominus tamen præter revocationem erit necessaria absolutio, præsertim si publica denuntiatio secuta fuisset, cap. 48. de sent. excom. Cassatio habet tantum locum in censura per præceptum, aut per sententiam lata, atque in eo distinguitur à revocatione, quòd cassatio fiat auctoritate superioris pro-

posita appellatione, vel querela, cap. 1. de sentent. excommunic. in 6. qua in specie si superior irritam censuram fuisse pronuntiet, satis id erit, ut omnis censura species evadescat; at si superior pronuntiet censuram tantum fuisse injustam, opus erit absolutione. Morte ferentis finem potius habet censura injunctio per præceptum, quam ipsa censura. Etenim si fingamus, Prælatum sub censura alicui indixisse, ut abstineat a certa re, & nunquam violato præcepto Prælatus obierit, subditus post Prælati mortem, utrum rem agat præcepto prohibitam, nullam censuram incurret. At si vivente Prælato subditus præceptum violaverit, & censura obnoxius esse cœperit, non interit inde censura ex obitu Prælati, sed erit absolutio, aut alia ratione delenda, can. 31. ex apostolicis, can. 4. caus. 11. quest. 3. can. 5. 8. caus. 35. quest. 9. & cap. 21. de sent. excom. Morte notati finitur tantum suspensio, & excommunicatio minor, non excommunicatio major, nec interdictum; propterea quod post mortem notati remanent adhuc effectus quidam excommunicationis majoris & interdicti, nulli amplius effectus supersunt suspensionis, aut excommunicationis minoris, uti superius in cap. 3. demonstratum est. Lapsus temporis locum habet in censuris ad certum tempus definitis, uti in cap. 1. de Clerico venat. & similibus, quæ tamen, ut sæpe notatum est, propriæ censuræ non sunt, sed aut penitentia, aut pœnæ. Id tamen perpetuum non est, cum aliquando non ad necessitatem, sed ad exhibendam quandam reconciliations speciem absolutio requiratur, propterea quod olim publicis penitentibus ad certum tempus damnatis & absolutio quædam publica indulgeretur elapso tempore, atque excommunicationes hujus generis penitentia publica locum teneant. Singulare quoque erat in excommunicationibus ad certum tempus dictis adversus absentes, qui si deinde se coram superiore stitissent, causas absentia allegantes, cognitiss eisdem causis absolvi dicebantur, can. 12. dist. 18. Absolutio quoque conceditur, quoties censura idcirco illata sit ad certum tempus, non ut finito tempore intereat, sed ut indicetur antequam elaboratur certum tempus, non esse reum admittendum ad absolutionem argumento Clement. 1. de decimis. Non multum ab hisce censuris distant censuræ lætæ, donec certa conditio impleatur, siquidem & istæ suapte natura finiuntur impleta conditione, cap. 4. de cohabit. Cleric. & mul., cap. 3. de usuris, nisi adpareat, non censuram ipsam sed absolutionem fuisse in certam conditionem collatam.

Que potissimum observanda sunt, spectant ad postremum delendam censuram modum, qualis est absolutio, quæ fit cum censura vera censura est, & jam ritè inflictæ, ac damnatus devoto animo ad Ecclesiam confugi penitentia signa exhibens, atque ad satisfaciendum paratus, Locum habet absolutio in universis censuris personalibus: at in interdicto locali non propriè absolutio, sed relaxatio dicitur causa cognita, cap. 10. de sent. excom. in 6. Ceterum nihil singulare in hac relaxatione observandum occurrit, cum eidem ferè omnia conveniant, quæ traduntur de absolutione à censuris personalibus. Quam obrem satis erit de absolutione dicere, ut quæ de ea tradentur, servata proportionè relaxationi accommodentur, nisi quedam identidem occurrant singulari ratione relaxationi localis interdicti accommodanda. Itaque plura sunt distinguenda, ut ordinata sit de absolutione à censuris disputatio. Primum spectat ad eos, qui potestatem habent absolvendi à censuris; secundum ad eos, qui possunt à censuris absolvi; tertium ad eas censurarum species, quæ indigent absolutione; quartum ad formam absolvendi; quintum ad onera, quæ vel absolvendis, vel absolutis imponuntur.

Quod primum ad eos attinet, qui potestatem habent absolvendi à censuris, generaliter statui potest, eos, qui possunt

sunt

sunt censuras ferre, posse etiam à censuris absolvere, non tamen è converso omnes, qui nequeunt ferre censuras, absolvere non posse. Item generaliter verum est, quoscumque Sacerdotes facultatem habere absolvendi à quibuscumque censuris, cum censura notatus in extremo mortis periculo est constitutus, argumento cap. 25. de appellation., cap. 11. §. 1. de offic. jud. ord., Concilio Tridentino sess. 14. de penitentia cap. 7. Imò etiam, ubi deesset copia Sacerdotis, & quis censura notatus moretetur facti penitens, eoque animo quo paratus esset ad satisfaciendum Ecclesie, absolutus coram Deo decederet, utur apud Ecclesiam adhuc tanquam censura obnoxius haberetur, cap. 28. de sent. excom. Præterea generaliter dici potest, eum, qui potestatem absolvendi destitutus nihilominus absolvit, nihil penitit agere, cap. 11. de privileg., quin obstat, quod ibidem legitur, absolutos reduci debere in censuram; etenim deductio illa non in jura consistit, sed in facto; quasi dictum fuerit, eos in eadem censura permanere debere, à qua cum se revocatos crediderint, tanquam solutos se gesserunt. Ut verò proprius ad rem accedamus, dixerò, non omnes posse à censuris absolvere. Nimirum distinguendum in primis est inter censuras lætas ab homine, & censuras lætas abs jure. Si lætæ ab homine proponantur, is tantum, qui eas tulit, non inferior, ne in interno quidem foro, ab ipsis absolvet, cap. 11. de privil., eoque defuncto ad successorem in dignitate absolutio pertinebit; cap. 11. §. 1. de offic. judic. ordinari., ex quo deducitur, etiam Capitulum Sede vacante esse notatos ab Episcopo absoluturum; cap. un. de major. & obed. in 6. Quòd si de superiore agatur, distinguendum est inter Episcopum absoluturum eos, qui notati sunt ab inferiore Prælato in diocesi Episcopi constituto, & inter Metropolitanum seu alium Episcopum superiorem qui absoluturus est notatum ab Episcopo. Si de Episcopo agitur, nulla dubitatio est,

quin absolvere indiscriminatim possit notatum à Prælato inferiore constituto in diocesi; neque enim egreditur tunc Episcopus Ordinarii qualitatem, dummodò Prælatum inferiorem certiorum reddat, & curet, ut absolutus inferiori Prælato satisfaciatur, cap. 3. de offic. jud. ordin. Si agatur de Metropolitanano, vel alio quocumque Episcopi superiore, is tunc demum absolvere poterit à censura inflictæ ab Episcopo, cum causa per appellationem, aut querelam ad suum tribunal deducta fuerit, cap. 8. 9. de offic. ordin., cap. 11. eod. tit. in 6., cap. 40. 48. de sent. excommunic., cap. 11. & 7. §. 1. eod. tit. in 6., cap. 3. vers. Sententia de appellation. in 6., quamquam olim id fieri in Concilio Provinciali soleret, can. 2. 4. 5. 30. 34. caus. 11. quest. 3., quo tamen casu Metropolitanus debet concessa à se absolutionis consilium Episcopo reddere, dicto cap. 3. de offic. jud. ordin. Nihil autem prohibet, quominus etiam pendente appellatione Episcopus valeat absolvere; cap. 8. de offic. jud. ordin., cap. 10. de appel. in 6., imò Metropolitanus, aut alius superior tenetur appellanti ad Episcopum remittere absolvendum; quo casu justè fuisse censura notatus, cap. 40. in fine de sentent. excom., cap. 7. eod. tit. in 6. Quòd si censura notatus apud superiorem conqueratur in causa appellationis irritam fuisse censuram ab Ordinario lætam, tunc erit etiam sine absolutione audiendus, ne aliàs contingat, probata nullitate absolutionis vacuum reddi, nisi eligat Metropolitanus absolvere ad cautelam, quæ absolutio semper concedi solet, ubi quis appellatione proposita de injustitia censuræ conqueritur, dicto cap. 40., & dicto cap. 7., cap. 36. de offic. judic. deleg. Cæterum non obstante appellatione apud Superiorem introducta, atque absolutione ab eodem Superiore concessa, poterit adhuc Episcopus iterum censuram inferre, si reus in crimine pernicax perseveret, cap. 6. de offic. judic. ordinari. Quæ de Episcopis, & de Prælatis superioribus

dicitur

dicta sunt, facile etiam accommodantur Sedis Apostolicæ delegatis. Etenim si delegatus censuram intulerit, ad eum tantum absolutio spectat, vel ad delegantem, aut ad successorem in eadem delegatione, cap. 11. §. 1. de offic. jud. ordin. cap. 26. de offic. jud. deleg., ex quo liquet, intra annum tantummodo habere absolvendi facultatem in delegato perdurare. Item delegatus potest absolvere à censura, de qua questio est apud eum, vel quæ impedit certam personam, ne delegatus in causa procederet, cap. 21. §. 5. de offic. jud. deleg. Imò & delegatus nunquam denegare poterit absolutionem, quæ petatur ad cautelam, nisi adversarius opponat, aliquem esse censuram notatum ob crimen manifestum, & probe intra terminum competentem, dicto cap. 21. id est intra octo dies, cap. 2. & 7. de sent. excom. in 6. quæquam hodie obtinuerit, ut indiscriminatim absolutio ad cautelam concedatur, dummodò cautiones de satisfaciendo præstentur. Hæc vera sunt, si causa censure in iudicium delegationis veniat: nam si fortè quis censura notatus fuerit ob aliam causam, quæ apud delegatum non fuerit instituta, censura notatus ad suum Ordinarium erit remittendus, dicto cap. 21. de offic. jud. deleg. Porro illud quoque in hac re verissimum est, eos omnes, qui ordinario jure absolvere possunt, posse alteri absolvendi facultatem mandare, argumento cap. 4. de offic. legati: est enim hæc potestas jurisdictionis, quæ suapte natura alteri committi valet.

Quod si agatur de censura inflictâ ex juris potestate, quam lata sententiæ appellant, multum interest, an sit censura improprie dicta, quæ scilicet ad determinatum tempus illata sit, & vires habeat penitentia, vel poenæ, an censura proprie sit, & in tempus indefinitum concepta. Si de censura improprie agatur, is tantum delere censuram poterit, qui valet abs jure dispensare, quandoquidem censura illius solutio, dispensatio potius legis est, quam vera absolutio. Si de censura pro-

prie dicta sermo sit, multum iterum interest, aut sententiæ declaratoria fuerit abs judice pronuntiata, an minus. Si sententiæ jam pronuntiata fuerit, ad eum absolutio pertinet, qui sententiæ declaratoriam pronuntiavit, nisi specialis ob sit reservatio gratia Prælati superioris idem enim observatur in proposito, quod viget, ubi censura abs judice ipso lata fuisset, quæ judex sententiæ suæ alterius cujuscumque jurisdictionem censuram publicando, sive palam denuntiando prævenit. Quod si nulla facta est denuntiatio, quod ut plurimum in occultis criminibus evenit, ego puto unumquemque Sacerdotem, qui sit facultate præditus absolvendi à peccatis, posse etiam à censuris absolvere, nisi ob sit specialis reservatio. Reverè præterquamquod id demonstrat quotidiana Ecclesiæ praxis, quæ constat, Sacerdotes, antequam absolvant à peccatis, absolvere solere ab omnibus censuris, perspicuum deducitur argumentum ex capitulo 29. de sentent. excom. ex quo discimus, conditorem canonis eo ipso concessisse videri aliis relaxandi facultatem, statim ac eam sibi specialiter non reservavit. Sentio quidem, multa obijci posse. Primum est, censuras ad forum externum pertinere, quum non nisi ab eo indicantur, qui externi fori jurisdictione fruuntur: quomodo ergo quispiam dicet, ab iis absolvat, qui tantum nactus sit fori interni jurisdictionem? Observet tamen, rogo illum, censuras per se quidem ad forum externum spectare, non ita verò, ut forum internum minime afficiant, siquidem statim, ac quis censura notatur, in foro interno impedimentum contrahit, ne jura ecclesiastica valeat exercere. Planè inanis poenæ foret Sacerdotum jurisdictio in foro interno, si non possent ipsi impedimentum evellere, quæ in foro interno obijciuntur, juxta generalem regulam utroque jure receptam, quæ postulat, ut concessa jurisdictione ad aliquem actum, ea etiam concessa intelligantur, sine quibus frustra explicaretur, cap. 20.

vers.

vers. Explorati de offic. & potest. jud. deleg. Ex quo ego concludo, tum demum non licere Confessario à censura absolvere, cum tantum à censura vellet, non à peccatis absolvere, quasi tunc meram externam, non internam jurisdictionem exerceret. Instabit, inquit: qui in foro interno jurisdictionem habet, censuras inferre nequit, ergo nec poterit easdem auferre. Verum ut omittam, hac in re potissimum inspicere facultatem abs jure factam, quo in genere non licet à non facta potestate ad aliam factæ potestatis speciem argumentari, dicto cap. 29. de sentent. excom., si bene ea, quæ modò tradidi, considerentur, nihil negotii, istud argumentum faceret. Nimirum cum Sacerdos, qui foro interno præsidet, non directò vi suæ potestatis à censuris absolvat, sed veluti per consequentiam, ut viam sibi patet ad absolutionem à peccatis, frustrâ à potestate inferendi censuras ad potestatem absolvendi similitudine deducitur. Et quoniam à simili pugnatur, non deest par probabile argumentum. Siquidem certum est, censuras latas ab eo, qui in foro tantum externo jurisdictionem habet, qualis esset Vicarius generalis non Sacerdos, aut Abbas, eo privilegio gaudens, etiam obligare in foro interno. Ecce non poterit à converso solvi etiam respectu externi fori, qui solvitur in interno? Nemo adhuc in medium proferat vulgatissimum adagium, quo fertur, in dissolvendis spiritualibus juribus præstantiorem, quam in construendis, potestatem requiri, cap. 2. de translat. Epis., etenim statim repono, absolutionem non tam esse dissolutionem iurium, quam iurium censura dissolutionem restitutionem: aliis autem verum, ac solidum est juris principium, facilem admodum esse uniuscujusque rei ad sua principia regressum. Nonnullis gravior videbitur difficultas, si interroget, quid juris erit, si in foro penitentiali à censura absolutus, deinde in foro externo denuntietur? Ego contra

Tom. IV.

interrogarem, quid agendum foret absolutò à censura Pontifici Maximo reservata in Penitentiaria Romana, seu quod idem est, in foro interno, si in foro externo conveniret? Et cum respondebunt, in foro externo sese gerere debere, tanquam censura notatum, licet deleta fuerit in animo censura, tum & similem à me responsionem accipiant. Videlicet in foro externo humano more se gerit Ecclesia, & eum non habet pro absoluto, nisi de cuius absolutione constat. Non constat autem de absolutione in foro Sacramentali, ut potè privata, atque omninò secreta; ac propterea nil mirum, si qui censura purgatus est, adhuc tanquam censura notatus exterius habeatur, donec in foro externo fuerit absolutus. Nondum tamen confecta res est, nisi & cum alio adversantium genere disputetur. Sunt enim, qui mecum sentiunt, si de excommunicatione minore, si de suspensione, si de interdico sit sermo, attamen putant, excommunicationis majoris absolutionem semper esse Episcopis reservatam. Ajunt ipsi, formam absolutionem in Ritualibus præstitam Confessariis ad majorem excommunicationem non referri: Addunt, in dicto cap. 29. de sent. excom., non majoris, sed minoris excommunicationis fieri mentionem. Postremò proferunt tanquam suæ opinionis achillem extravagantem 1. de privileg. int. com. Ego verò non video in primis, quomodo formulam Confessariis propositam generaliter de excommunicatione conceptam, velint ad unam minorem excommunicationem contrahere, quando certà est juris regula, quæ docet, nomine excommunicationis absolutè prolato, non tantum minorem, sed etiam majorem venire, cap. 59. de sent. excom., ubi si cum excommunicatio indicitur, tum censetur indicta major, potiore jure cum excommunicatio deletur, tum censenda erit etiam deleta major, ab eo qui debet juxta juris regulas leniorem capere

Li

11

in absolvendo, quam in damnando interpretationem. Deinde quod spectat ad dictum capitulum 29., quamvis Innocentius III. de minore excommunicatione interrogatus deprehendatur, generaliter tamen rationem subiecit, quae majori etiam excommunicationi accommodatur. Miror autem, adversarios ita strictè interpretari Innocentii rescriptum, ut illud contrahant intra propositam speciem; & statim non iniciari, idem obtinere in suspensione; & interdicto, licet ibidem & de suspensione; & de interdicto alium sit silentium. Quod si ab excommunicatione minore ad interdictum; & suspensionem argumentum ducere ipsi non dubitant, quid, amabo, prohibebit, quominus ad excommunicationem majorem idem argumentum dicamus, quando excommunicatione & minor; & major sub eodem censuræ genere continentur, quod de interdicto; & de suspensione dici nequit. Denique quod spectat ad extravag. 1. de privileg., ita singularis est, seu tantum afficit religiosos quosdam viros, qui sub Apostolicorum tunc obtentorum privilegiorum specie excommunicatos ab Episcopis absolvebant, Episcopis eisdem ignorantibus, aut invitis: declaravit autem Benedictus XI., nunquam eam fuisse Sedis Apostolicæ sententiam in iis privilegiis concedendis. Addere possum, agi ibidem de absoluteione à censuris sententia Episcoporum indictis, sive ex juris præscripto, prout res incideret; aut si forte velis intelligere etiam excommunicationem juris & late sententia; nihil prohibet; quominus interpretemur de ea, quæ solemniter jam reddita fuerit publicam Episcopi denuntiationem, cujus propterea absoluteionem, nuper a se habam Episcopo denuntiant, tanquam illi, qui in causa prævernerit, reservari. Ceterum laudatæ extravaganti Benedicti IX. modus quidam adjectus est ex constitutione Clementis V., qui Benedicto successit, in Clement. 2. de sepulturis, ex qua major

vis accessit privilegii quorundam Regularium, quæ à Benedicto coarctata fuerant. Hæc vera sunt, nisi censura absoluteio fuerit specialiter reservata; siquidem reservatio dicitur inferioris potestatem intra certos limites coarctare; cap. 13. de vita & hon. Cleric., cap. 29. de sent. excom. Finis reservationis triplex esse solet; primus scilicet, ut canonum disciplina magis in toto collocetur, cap. 29. de præbendi; alter, ut certis Episcopalis, sive majoribus Sedibus honor servetur, dicto cap. 29. de præbendi; postremus, ut facilis populus corrigatur, extravag. 3. de poenit. & remiss. int. com., Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. Observandum est hæc in re, omnem reservationem generaliter cessare in mortis articulo, dicto cap. 7. in Concilio Tridentino; item natura sua cessare reservationem, ubi censura cessaverit, cap. 3. de imunit. in 6.; quamquam possit adhuc consistere censura, cessante reservatione. Ut paucis dicam; cessat quoque reservatio iis omnibus modis, quibus cessat indictio censuræ; sive ex lege, sive ex præcepto, sive per sententiam facta; can. 52. caus. 16. quest. 1. Causa autem reservationis debet esse gravissima; sed gravior illa, quæ occasione præbere potest ferendam censuram, propterea quod reservatio censuram adhuc reddat asperiores. Quod ad potestatem reservandi attinet, verum est in primis, eam inesse poenae unumquemque, qui possit censuras inferre, cap. 29. de sent. excom., Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. Quamobrem cum aut ab homine, aut abs jure censura feratur; & ab homine; & abs jure fieri posse reservationes intelligimus, quin habeatur ratio an censura sit lata, an ferenda sententia, cap. 8. de tempor. ordin. Nomine juris non solum venit jus commune, sed etiam particulares constitutiones aut in Synodis, aut extra Synodum editæ. In jure communi nulla adparere reservatio; nisi edita aut à Con-

cilio, aut à Pontifice Maximo, quamquam constet de facultate reservandi, qua Episcopi gaudent, dicto cap. 29. de sent. excom., dicto cap. 7. Tridentino. Insuper non repugnat, etiam solâ consuetudine reservationem induci, ut liquet ex extrav. 1. vers. Incendiarios de privileg., cap. 8. de sent. excom. in 2. Collectioe verbo *consueverunt*; habet enim vim legis legitima consuetudo, uti nemo ignorat; præsertim in definiendis ministrorum ecclesiasticorum potestatibus, quæ non ordinis sunt, sed jurisdictionis.

Fit reservatio ita, ut absoluteio censura petenda sit vel tantum à Pontifice Maximo, vel à Patriarchis, vel ab Episcopis, vel ab aliis Prælatibus seu secularibus, seu regularibus quasi Episcopali jurisdictione gaudentibus, minime ab inferioribus. Quæ in specie aliquot sunt adnotanda absoluteionem Prælatorum discrimina. Primum est, in iis, quæ sunt reservata Episcopis, aut Prælatibus Episcopali jurisdictione præditis, etiam Pontificem Maximum posse absolvere, non è converso. Alterum est, multos esse casus, in quibus Episcopi tantum absolvere possunt à censuris Papæ reservatis in foro interno, reservata absoluteione in foro externo Pontifici Maximo, quod contingit, ubi gravia impedimenta sunt, ne quis ad Romanum Pontificem accedere possit, cap. 11. 29. in fine, cap. 58. de sent. excom., cap. 3. eod. tit. in 3. Collectioe. Tertium est, Pontificem Maximum non solum per se, sed etiam per legatos, delegatos absolvere posse; quod adeo verum est, ut etiam si legatus habeat generale mandatum, in eo tamen continetur potestas absolvendi à censuris eidem Pontifici reservatis, dummodo tales censuræ sint, quarum absoluteionem Pontifex mandare consueverit, cap. 4. de offic. legati, cap. 13. de sent. excom. At si quandoque Episcopo concedatur absoluteio, non est perpetuum, ut Episcopus possit eam facultatem al-

teri mandare, unde receptum est, ut in crimine hæresos possit Episcopus per se tantum absolvere, Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 6. Quartum est, minus juris habere Presbyteros in censuris reservatis, quam Episcopos in reservatis superiori; nam Presbyteri tantum absolvere possunt in mortis articulo, uti superius traditum est; Episcopi, quodcumque gravis urgeat necessitas. Postremum est, quibus in casibus inferior absolvere potest à reservatis, regulariter exigendum esse ab absoluteo, ut cum fieri poterit, se sistat coram eo, cui reservatio facta fuisse, ut apud eum satisfaciatur, cap. 11. 29. in fine, & cap. 58. de sent. excom.

Jam verò enumeremus censuras illas quarum absoluteio est Pontifici Maximo reservata. Contentus ero hoc in loco frequentiores recensere, & quæ aut in jure communi, aut in Concilio Tridentino constitutæ fuerunt. Reservatæ Pontifici Maximo aut excommunicationes sunt, aut suspensiones; utraque autem vel ferenda sunt, vel late sententia. Non memoro reservationes singulares, quæ ex speciali præcepto Papæ certis in causis fiunt; hæc enim, ut in corpore canonum continantur, jus commune non faciunt. Harum exempla sunt in can. 52. caus. 16. quest. 1. & in extrav. 5. de præbendi. int. com. Excommunicationes ferendæ sententia duæ sunt Pontifici Maximo reservatæ. Prima est, quæ adversus incendiarios infligitur; siquidem tum demum reservatur absoluteio, cum incendiarii fuerint Episcopali sententia demeriti, cap. 19. de sent. excom. Altera erat, quæ indicta fuit in eos, qui falsas Apostolicæ Sedis litteras habuerint, nisi intra viginti dies resignavissent, aut destruxissent; uti legitur in cap. 4. in fine de crimine falsi. Sed hodie post editas recentiores Pontificum constitutiones hæc excommunicatio est late sententia. Frequentius adparet reservata excommunicationes, ubi ista ipso jure infliguntur.

tur, Extat in codice Gratiani reservatio in ea specie, qua quis in Clericum aut Monachum violentas manus intulerit, can. 29, caus. 17, quæst. 4. Apud Gregorium IX. extat reservatio excommunicationis indictæ in Clericos, qui scianter & spontè participaverint excommunicatis à Sede Apostolica, atque istos in officiis receperint, cap. 18. de sent. excom., item reservatio excommunicationis, qua notantur, qui sacras ædes infringunt, ac spoliant, cap. 22. eod. tit. Apud Bonifacium VIII. adparent reservationes, tum in cap. 17. de elect. in 6. adversus eos, qui in electione Romanarum dignitatum in scio Pontifice Maximo se ingerunt; tum in cap. 3. de immun. in 6. adversus eos, qui à personis, & rebus ecclesiasticis certas exigunt pensiones, cui tamen decreto certus modus adjectus est in Clem. un. de immunit. & extrav. un. eod. tit. int. com., item adparent in cap. 11. de sent. excom. in 6. adversus eos, qui Prælatos Ecclesiæ impedierint, ne censurarum ferendarum potestate utantur. In Clementinis reservatur excommunicatio lata adversus eos, qui negligentes fuerint in puniendis hæreticis, si sint Episcopi inferiores, Clement. 1. §. Verum de hæret. excommunicatio lata adversus regulares, qui certa Sacramenta Parochis reservata ministraverint, Clement. 1. de privileg., excommunicatio lata adversus eos, qui induxerint aliquem ad votandum, jurandum, vel promittendum, ut sepulturam in eorumdem Ecclesiis eligant, vel electam non immutent, Clem. 3. in fine de penis, & excommunicatio lata adversus eos, qui prohibent, ne censura ritè inflictæ observetur, Clem. 2. de sent. excom. In extravagantibus communibus adparent reservatio in certa processu judicialis specie, uti legitur in extrav. 1. de treuga, & pace vers. Et si forsus, item in specie extrav. 1. de sepultur. adversus eos, qui mortuorum cadavera extumulant; in specie extrav. 1. & 2. de re-

gular. adversus mendicantes ad religionem non mendicantium transcentes, & adversus regulares quoscumque, qui non obtenta venia ultra mare perrexerint; in specie extrav. 2. de reliq. & ven. Sancti. adversus eos, qui detestati fuerint venerantes B. Mariam sine labe conceptam, in specie extrav. 1. & 2. de simonia adversus quoscumque simoniacos, in specie extrav. 1. de Judeis adversus eos, qui infideles militibus instrumentis, aut subsidiis contra Christianos juvaverint; in specie extrav. 3. de privilegiis adversus Prælatos, qui puniunt subditos suos, quod Romam confugiant; in specie extrav. 1. de sent. excom. adversus eos, qui aliquid dederint, vel promiserint gratia obtinendi rescripti à Sede Apostolica. Multæ aliæ reservationes extant in extrav. 3. & 5. de penit. & remission. In Concilio Tridentino nullæ extant hujus generis reservationes. Tantum notari potest, duas excommunicationes in ea Synodo latas, scilicet in causa violationis clausuræ monialium, sess. 25. de regular. cap. 5., & in causa monachæ, sive duelli, sess. 25. de Ref. cap. 19., fuisse deinde recentioribus Pontificum constitutionibus Sedi Apostolicæ reservatas, quamquam Pontificæ istæ constitutiones non sint ubique receptæ. Vix ego reperio in corpore juris suspensiones ferendæ sententiæ Pontifici Maximo reservatas. Adparent quidem reservatio quædam in cap. 8. & 13. de tempor. ordin. item in cap. 33. in fine de testibus. Verum fortè ibidem agitur de suspensionibus illatis ex singulari præcepto, & certis incidentibus factis accommodatis, quæ jus commune minimè constituunt. Quædam tantum extant suspensiones inflictæ ipso jure, quæ Pontifici Maximo reservantur, quemadmodum dum in specie capituli 45. de simonia, ubi quis ita ordinatur, ut promittat, se adversus ordinantem nullam molestiam illaturum, aut in specie Collegiorum, vel Capitulorum suspensionem ipso jure incurrentium,

tium, cum simoniam admiserint, extrav. 1. de simonia, aut in specie extrav. 1. de elect. adversus eos, qui Prælatos recipiunt sine litteris Apostolicæ Sedis, aut denique in specie capituli 1. de tempor. ordin. in 6., de ordinatis à remotis partibus venientibus. Non adjectio reservationes alias, quæ in Pontificis recentioribus constitutionibus continentur; siquidem non ubique eas receptas fuisse constat, multas etiam contraria consuetudine quibusdam in locis abrogatas.

Gratia Patriarcharum nullam aliam in jure factam reservationem invenio, quam eam, quæ adparent in cap. 29. de præbendis, nimirum in specie Episcoporum, qui suspensi fuerint à Provinciali Concilio à collatione beneficiorum, propterea quod ab ecclesiasticis regulis in conferendis beneficiis deflexissent. Est autem ea suspensio ferendæ sententiæ. Gratia Episcoporum, certum generaliter est, censuras omnes, quæ eorum sententiâ inferuntur, reservatas ipsis esse, uti suo loco dictum est. At si agatur de censuris latæ sententiæ, nulla adparent reservatio in codice Gratiani: in collectione Gregorii IX. reservationes adparent in cap. 9. de vita & honest. Cleric. cap. 11. 13. 17. & 33. de sent. excom., de iis scilicet, qui injuriam in Clericos intulerunt, & quibus certis in casibus venia conceditur, ne ad Sedem Apostolicam confugere teaneant; item in cap. 19. & 22. de sent. excom. de incendiariis, & expulsores Ecclesiarum, quosque non sunt publicè denunciati. In recentioribus collectionibus nullæ reservationes adparent. Quod enim nonnulli tradiderunt extravagante 1. de privileg. int. com. generaliter excommunicationis majoris absolutionem Episcopis reservari, jam superius confectum est, cum illa constitutio singularis sit, & pertineat potius ad privilegia religiosis quibusdam viris concessa intra certos fines coercenda, quam ad inducendam generalem reservati-

tionem. In Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de Ref. non tam in vim reservationis, quam in vim indulgentiæ singularis cautum est, ut Episcopi à suspensionibus, & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, licet Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in crimine hærescos, delinquentes quoscumque sibi subditos in Dicecesis sua in foro conscientie absolvere possint. Nominè occultorum casuum, seu censurarum ex occulto delicto provenientium intelligi debent, quæ occulta sunt jure, licet fortè factio sint publica. Si enim publicus quidam rumor emergat, & crimen palam sit notum, nihilominus occultum dicendum erit, sive quod in hac specie vulgus facile errori subaceat, & multa nota dicantur ex fama publica, quæ talia non sunt, sive quod hæc distinctio notorum, & occultorum non primùm invaluit in Tridentino Concilio, sed olim jam certis in criminibus recepta erat, & hæc habebat interpretationem. Sic ex gr. habemus ex cap. 19. & 22., crimen expilationis Ecclesiarum, & incendii esse reservatum Episcopis post publicam factam denuntiationem. Constituerunt nonnulli in interpretatione Tridentini decreti, & tradiderunt, facultatem Episcopis ibi concessam pertinere tantum ad censuras, notaque universas ante Tridentinum Concilium reservatas, minimè verò ad reservationes, quæ factæ post Concilium deprehenduntur. Si res hæc ad mera juris principia referenda esset, fortè in contrariam opinionem abeundum, exceptis tantum iis casibus, quibus expressè in recentibus constitutionibus facultati in Tridentino factæ derogaretur, sive quod receptum ferè sit, nunquam derogatum censeri Tridentinis decretis, nisi expressa sanctione; sive quod jus Tridentinum tanquam jus commune consideretur, ex quo

quo interpretationem accipere solent singulares quæcumque constitutiones. Verùm prævaluit apud Pragmaticos ea opinio ex Tribunalium definitionibus derivata; hinc hodie ubi ista definitio- nes receptæ sunt, non licet Episco- po simoniacos etiam occultos idoneos ad obtinenda in posterum beneficia red- dere; hæreticos, & clausuræ monasticæ violatores utut occultos absolvere. Por- rò quibus in casibus potest Episcopus absolvere, poterit quoque facultatem absolventi alteri mandare, non tamen sufficere ad eum finem generale manda- tum, quo constitui solent Vicarii ge- nerales, cap. 2. de offic. Vic. in 6., imò ubi adhuc obtinet disciplina Con- cillii Tridentini in dicto cap. 6., si agatur de absolvendo occulto hæretico, ita Episcopo ea absolutio reservatur, ut ab Episcopo eodem nequeat alteri deman- dari.

Gratia Prælatorum aut secularium diocesisin separatam habentium, aut regu- larium habentium jurisdictionem qua- si Episcopalem, nulla alia singularis reser- vatio adparet, quam in specie capi- tuli 2. 13. & 33. de sent. excom. de Clericis, vel Monachis, qui invicem se lædant. Nunquam autem Prælati istis competit ea facultas, quæ Episcopis concessa fuit ex singulari Tridentino de- creto in dicto cap. 6. sess. 24., ob singu- laria decreti verba de Episcopis con- cepta, quorum sanè peculiaris ratio ha- bita est. Cæterùm cum de Prælati hujus generis agitur, opus semper erit, ubi quaestio emergat, ad singularia eor- um jura, ac privilegia respicere, ne- que enim omnes pari gaudere solent ju- risdictione ac potestate, Clementina 1. de privilegiis.

Succedit secunda observatio, quæ eos spectat, qui absolvi possunt. Qui- cumque viventes sunt, ab omni cen- surarum specie absolventur. Non ita qui jam ab hac vita decesserunt. Ab- solvuntur quidem isti ab excommunicati- one majore, & ab interdicto; frustra

tamen absolutio concederetur aut ab ex- communicatione minore, aut à suspen- sione, eodem modo, quo quis post mor- tem adhuc declarari potest aut inter- dictus, aut excommunicatione majore innodatus, nunquam suspendi, aut mi- nere excommunicatione notari, quan- doquidem aut suspensionis, aut mino- ris excommunicationis nulli sunt post mortem effectus. Quando verò in vita functus propriè non exerceret ecclesiasti- ca jurisdictione, absolutio, quæ fit post mortem, non vera ac propria absolu- tio est, sed tantùm declaratio, qua pro- ponitur, aliquem decessisse coram Deo absolutum, proindeque in communio- nem restituitur, can. 1. 2. 3. 4. caus. 24. quæst. 2., cap. 28. de sent. excom. Pertinet autem hæc absolventi facultas ad eum Prælatum, qui potuisset viven- tem absolvere, adeò ut in iis, quæ adhuc observari rectè valent, eodem modo absolutio indulgenda sit, ac si vi- vens absolveretur, & quibus in casibus satisfactio sit injungenda, heredi sub cen- suræ comminatione injungatur, cap. 5. de raptor., cap. 14. de sepultur., cap. 28. de sent. excom., cap. 4. eod. tit. in 4. Collectio. Regula quoque est, qua traditur, neminem posse à censura se- metipsum absolvere, quamquam qui potestate generali absolventi potitur, alteri mandare valeat, ut ipse absolvat, eodem modo, qui observatur in absoluteione à peccatis, cap. ult. de poenit. & remiss. Item exemplo absolu- tionis à peccatis, unusquisque à censu- ris absolvi potest, ubicumque reperia- tur, dummodò censura non sint reser- vata. Nihil autem interest, an notatus censura per se, an per procuratorem, vel verbis, vel scripto absolutionem ob- tineat, can. 8. caus. 2. quæst. 5. Il- lud erit necessariò observandum, ut ne- mo admittatur ad absolutionem, nisi primùm eum verè poeniteat culpæ, propter quam censura fuit obstrictus, can. 108. caus. 11. quæst. 3., utut aliorum criminum, quæ censura reatu-

satis

sam non dederunt; minimè doleat, cap. 23. de verb. signif. Quòd si tan- tùm exteriora poenitentia signa edide- rit, nihilominus in conspectu Ecclesiæ absolutionem à censura obtinuisse vide- bitur eatenus, quatenus in externo foro ad jura communionis restituitur.

Quod attinet ad species censurarum, quæ indigent absoluteione, observandum est primò, non semper opus esse abso- lutione à censuris universis, sed conce- di posse eam tantùm ab aliquibus, ve- luti cum quis accedit ad Sacramentum poenitentia, in quo potest quis absolvi ab excommunicatione majore, quin absolvatur à certis suspensionibus, quæ privant aliis bonis, non perceptione Sa- cramentorum. Hinc absolutio à censu- ris modò generalis est à censuris omni- bus, modò particularis, & ab una tan- tùm, cap. 27. de sentent. excommun., neque enim eadem est censurarum con- ditio, quæ criminum, quorum absolu- tionem non nisi generalem Ecclesiæ im- petitur, cum gratia Dei, qua delen- tur crimina, & individua sit, se jungi au- tem possint jura Ecclesiæ, ita ut aliqua concedantur, alia denegentur. Imò & potest quis absolvi à censuris, quin absolvatur à peccatis, cap. 23. de verbor. signif. Cæterùm subreptitia esset abso- lutio particularis ab una censura tantùm, si quis silentio præteriret, se alia cen- sura esse innodatum, cap. 42. de sent. excommun., juncto cap. 20. de rescrip- tis. Observandum est secundò, esse ali- quas censuras, quarum absolutio neces- saria dicitur, alias, quarum absolutio tantùm conceditur ad cautelam. Neces- saria absolutio petitur, ubi certa, & non irrita est censura nota, etiam si fortè injusta proponatur, aut ubi quis putat se censura esse notatum, quamquam erret, nisi errorem deposuerit, argumen- to capituli 35. de simonia. Absolutio ad cautelam jam videtur adhibita fuisse sub Alexandro III., cap. 16. de appellat., juncto cap. 40. de sent. excommun. Sed formula illa ad cautelam primum usurpa-

ta videtur apud Clementem III. in cap. 15. de sent. excom. Certa sanè res est; petendam esse absolutionem saltem ad cau- telam, quotiescumque quis in dubio versatur, an censuram incurrerit; quam- quam enim in dubio juris credendum sit, nullam esse censuram, in dubio tamen facti petenda absolutio, propte- rea quòd in facto, & in absoluteione, quid tutius est, spectatur, cap. 3. de Cleric. excom., dicto cap. 15., & cap. 52. de sent. excommun. Juxta morem Ro- manum etiam obtinuit, ut ubicumque vel levis dubitatio esse potest, absolu- tio ad cautelam facile indulgeatur ma- joris securitatis causa, etiam si censura iniusta irrita videatur, cap. 16. de ap- pellation., aut valida quidem putetur, sed ex inani fundamento, cap. 40. de sentent. excommun., cap. 6. eod. tit. in 6. Tantùm prohibetur absolutio ad cautelam, cum injuria, ob quam quis est censura notatus, est manifesta; cap. vers. *Pomè* de sentent. excom. in 6. Imò & jam diuturno usu obtinuit, ut quicumque accedit ad poenitentia Sacra- mentum, absolvatur à censuris à Sacer- dote; item ut quicumque rescriptum, be- neficium, vel privilegium impetret à Se- de Apostolica, similem obtineat absolu- tionem, utut censura minimè conscius sibi sit, quæ sanè non nisi absolutiones ad cautelam appellari possunt.

Quòd spectat ad formam absolven- di, sunt qui putant, aliquando sufficere tacitam quandam absolutionem, quin ex- pressa requiratur. Id quidem ego recipere in ea specie censuræ improprie, ex qua ex. gr. alicui vetitum fuisset à suo Prælato, ne sacra mysteria obiret, do- nec Prælato visum fuisset, siquidem quam- quam hæc suspensio videatur, cum ta- men non conferatur in emendationem suspensi, sed potius in voluntatem Præ- lati, præceptum quoddam potius est, quam censura, ideoque Prælato etiam tacitè permittentem Clericum sacra minis- teria obire, in irritum ea suspensio etiam sine absoluteione evanesceat, cap. 2. de

Cler.

Cler. non ordin. ministr., Concilio Tridentino sess. 7. cap. 10., sess. 14. cap. 2., sess. 23. cap. 8. de Reform., & sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim. Verum generaliter, ubi de propria censura agitur, tacite nunquam quis absolutus censebitur. Gravissimum hujus rei argumentum deducitur ex cap. 41. de sent. excom., & ex Clement. ult. cod. tit., ubi dicitur, censura notatum non censi absolutum ex eo quod communionem habuerit cum Pontifice Maximo, & ab isto cum honore exceptus fuerit, nisi constet de absolute. Id adeo verum est, ut etiam si quis absolutus fuerit apud Deum, quod penitentia, & obedientia signa erga Ecclesiam ostenderit, & ante obtentam absoluteionem obierit, adhuc censura teneatur, non quidem in interno, sed in externo foro, sitque propterea per Ecclesiam absolvendus, can. 1. 2. 3. 4. caus. 24. quest. 2., cap. 28. de sent. excomm. Itaque debet absolutio fieri juxta formam Ecclesiae, cap. 15. & 28. de sent. excomm. Quamquam enim, jure communi certa praestituta verba non sint, quibus generaliter uti debeant quicumque absoluturi sint censura notatos, argumento cap. 15. de verb. signif., certi tamen ritus, aut in veteris canonibus, aut in recentioribus Pontificalibus, ac Manualibus sunt designati, ex quibus de absoluteione constet, dicto cap. 41. de sent. excomm. Olim recepta erat formula deprecatoria, uti liquet ex can. 108. caus. 11. quest. 3., ex Reginone lib. 2. de ecclesiast. discipl. cap. 4. & 14., ex Burchardo lib. 2. cap. 8., quod usque ad decimum tertium saeculum viguisse probari posset, ex cap. 28. de sent. excomm. Sed recentiore aetate adhiberi cepit formula indicativa. Duplex autem est absolutio, solemnns, & minus solemnns. Olim solemnns erat formula tantum recepta in excommunicatione, cujus absolutio fiebat ab Episcopo intervenientibus duodecim Presbyteris, recitatione facta septem Psalmorum penitentialium, & virga per-

cusso excommunicato; erat enim ista species reconciliationis publicae, quae si erga eos solemnns erat, & Episcopo reservata, qui publicam penitentiam exegerat, potiore jure reservabatur Episcopis, quoniam de excommunicatis ageretur, can. 52. dist. 50., can. 108. caus. 11. quest. 3.; can. 4. de penit. dist. 5. Quenam hodie observentur, constat ex Pontificali Romano sub titulo *Ordo excommunicandi, & absolvendi*. Minus solemnns simplicibus verbis exprimitur, quibus aliquem absolvi a censuris significetur. Porro ut indicetur, quandonam alterutra absoluteio concedi solet, observandum in primis est, an absoluteio partialis sit, an totalis. Ubi est absoluteio partialis ad certum tantum effectum concessa, puta cum conceditur a Summo Pontifice, ut quis obtineat beneficium, rescriptum, privilegium, aut cum ab alio Praelato conceditur, ut quisquam possit in judicio persequi jus suum, vel ut quisquam eligere, vel praesentare valeat, vel ad securitatem conscientiae, aut cum conceditur a Sacerdote ad finem obtinendae absoluteionis a peccatis, minus solemnns adhibetur absolvendi formula. At si totalis absoluteio est, iterum distinguendum erit, an absoluteio concedatur in externo, an in interno foro, veluti cum quis est palam denunciatus, opus erit absoluteione solemnni, ita ut in excommunicatione adhibeatur formula superius memorata; in ceteris autem censuris, etiam in scriptis absoluteio concedatur, ut palam possit de ea constare, can. 9. caus. 2. quest. 1., cap. 41. de sentent. excomm. Si in foro interno indulgeatur, tres memorantur casus. Primus est, cum quis a Sacerdote absolvitur eodem tempore, quo absolvendus est a peccatis. Alter est, cum quis est constitutus in mortis articulo. In his duobus casibus minus solemnns absoluteio conceditur. Postremus casus est, cum quis absolvitur a censuris occultis ab Episcopo, juxta facultatem factam Episcopis in Tridentino Concilio sess. 24. cap. 6. de

Re-

Reform., tum vero licet privatim faciendae absoluteio sit, adhibenda tamen est solemnns absolvendi formula. Quomodo-cumque vero absoluteio concedatur, debet illa has condiciones habere. Prima est, ut liber fiat, non vi, non metu extorqueatur, cap. un. de his, quae vi met. caus. in 6. Secunda est, ut sincero animo impetretur, non obreptione, aut subreptione, quod contingeret, si quis a pluribus Praelatis multiplice censura notatus veniam ab uno peteret, quin notum faceret absolventi, se alia censura teneri, cap. 5. de offic. judic. ordin., cap. 27. & 42. de sent. excom., juncto cap. 20. de rescriptis. Tertia est, ut nemo absolvatur invitus. Quarta est, ut justa sit absolvendi causa, qualis est cessatio delicti, ob quod quis fuit censura notatus, dolor admissi criminis, & satisfactio, can. 108. caus. 11. quest. 3., can. 13. caus. 17. quest. 4., can. 32. caus. 23. quest. 8., cap. 5. de offic. jud. ordin., cap. 27. de sent. excom. Postrema est, ut non dato pretio, sed gratis, & sine ullo simoniae vitio absoluteio concedatur, cap. 6. de sent. excom. in 4. collectione. Quod denique attinet ad certa onera, quae absolvendis imponuntur, observandum est, neminem a censura absolvi oportere, nisi laesam satisfaciat, cap. 52. de sent. excom., quod verum est, si reus manifestam injuriam intulerit, secus, si de injuria non satis constet, debet absolvendus promittere, se pariturum mandatis Ecclesiae, aut si censura lata ob contumaciam fuerit, spondere se coram superiore stiturum, cum vocabitur, cap. 23. de verb. signif., cap. 20. 21. 25. de appellation., cap. 15. de sent. excom., can. 32. caus. 23. quest. 8., & quidem haec satisfactio absoluteionem praecedere debet, cum injuria est manifesta, can. 23. caus. 17. quest. 4., cap. 29. de offic. deleg., cap. 23. de verb. signif. Exceptio est in eo, qui in extremo vitae discrimine constitutus est, hic enim cavere jurato

Tom. IV.

debebit, se satisfacturum cum primum poterit. Exceptio item est in eo, qui absolvitur tantum in foro interno, quocumque casu haec absoluteio indulgeri poterit, & nondum est reus publice denunciatus; hic enim cavere jurato debet, se pariturum mandatis Ecclesiae, quotiescumque vocatus fuerit, argumentum cap. 12. 51. & 58. de sentent. excom. Simili ratione qui pluribus censuris a diversis Praelatis inflictis tenetur, dum ab uno absolvitur, jurato cavere debebit, si alteri Praelato satisfacturum, cap. 42. de sent. excom. Quando vero condiciones hujusmodi, & cautiones adjiciuntur, non ipse suspendunt absoluteionis effectum, cap. 22. de sentent. excom. in 6., sed tantum obligationem designant necessariam implendam. Apud veteres non satis constat, quibusnam poenis afficiendus esset ille, qui post obtentam absoluteionem neglecta sponse sua minime satisfecisset. Primum Innocentius III. in cap. 8. de offic. jud. ordin. statuit, ut is, qui statuto tempore non satisfecisset, iterum in pristinam censuram reduceretur. Inde liquet, novam fuisse censuram, quae esset pronuntianda, proindeque ab eo tantum indicendam fuisse, qui facultatem haberet indicendi censuram. Præterea igitur Sacerdotes tantum habentes jurisdictionem in foro interno decernere poterant, ut quis iterum censuram subaceret. Inde etiam liquet, post reincidentiam, ut ajunt, in censuram, opus fuisse nova denuntiatione illius, qui censura notatus esset; uno verbo, opus fuisse iis omnibus, quae necessaria sunt, ut censura inferatur, juxta regulas superius praestitutas. Hodie vero post constitutionem Bonifacii VIII. in cap. 22. de sent. excom. in 6., qui non satisfecit, & fidem datam de satisfaciendo fefellit, jure ipso in censuram reincident; eaque adamussim observanda superstunt, quae observari solent in censuris ipso jure inflictis, quemadmodum superius dicendum fuit.

Mm

DIS-